

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
VITAE REGIMINE AEGRORVM  
EX FEBRIBVS

=====  
QVAM  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
ILLVSTRIS AC GRATIOSI MEDICORVM  
ORDINIS

PRO  
GRADV DOCTORIS  
ET SVMMIS MEDICIS HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS OBTINENDIS  
IN IVLEO MAGNO

DEFENDET  
CHRISTIANVS LVDOVICVS BEHR

ANHALTINO-COTHENIENSIS.

DIE XV IVLII A. MDCCLXXXVI.

*Dr. R. Kühnert.*  
*v. J. W. H. H.*

HELMSTADII  
LITERIS VIDVAE P. D. SCHNORRII  
ACADEM. TYPOGR.

hol. spec.

38, 2.

*Manuspec 164*

INSTITUTIONIS HANNOVERANAE

LIBRARIUM MUSEI HISTORICO-NATURALIS

EX LIBRIS

—————

1811

NUMERO 17. COMPENDII

LIBRARIUM MUSEI HISTORICO-NATURALIS

EX LIBRIS

1811

NUMERO 17. COMPENDII

LIBRARIUM MUSEI HISTORICO-NATURALIS

EX LIBRIS

1811

—————

LIBRARIUM MUSEI HISTORICO-NATURALIS

EX LIBRIS

1811

—————

NUMERO 17. COMPENDII

LIBRARIUM MUSEI HISTORICO-NATURALIS

A

SON ALTESSE SERENISSIME

MONSEIGNEUR LE PRINCE

CARL GEORG  
LEBRECHT

PRINCE REGNANT D'ANHALT-COETHEN etc.

V  
VON ALFRED ERMESBERG  
MEMORANDUM LE PRINCE  
CARL GEORG  
FABRECHT  
LEUCHE WEGHANT DANKHART-COTTENEN etc.

# MONSEIGNEUR

**S**i j'ose, vous dédier cette petite Dissertation, ce n'est que je la croye assez parfaite et importante, pour meriter l'attention de Votre Altesse Serenissime, dont la Sageffe est connue et admirée de tout le monde; mais pour prouver le zele et la reconnoissance, que j'ai pour Vous mon Prince, et que j'aurai toute ma vie. Quel bonheur pour moi, Si Votre Altesse Serenissime daigne de les regarder en bon oil. La faveur dont Votre Altesse Serenissime a eu la gra-

ce, d'avoir pour mes parents, me fait éspérer, qv'elle voudra bien me proteger, je travaillerai de me rendre digne de cette grace, et je ne cesserai pas de faire mes vœux pour Votre Altesse Serenissime, et pour Son auguste maison, qvi svis

**MONSEIGNEUR**

**DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME**

Le très humble, très obeissant et très  
fournis Serviteur

**Christian Ludwig Behr.**



DE  
VITAE REGIMINE AEGRORVM  
EX FEBRIBVS.

---


§. I.



d morbum debellandum non suf-  
ficit medicamentorum applica-  
tio, sed requiritur praecipue ta-  
lis moderatio viuendi rationis,  
qualis conditione morbi prae-  
sentis indicatur. Atque haec adeo necessaria est, vt  
sine ea vel selectissima medicina incassum propine-  
tur. Regiminis vitia sanitatem destruunt eorum-

A

que



que emendatio hanc restituit. Bene recteque vitam agens homo secunda valetudine gaudet per longam annorum seriem. Rite instituta viuendi ratione per plurimi profligantur morbi, tuncque opus est paucissimis vel etiam nullis interdum medicamentis. Hinc medici pristinae aetatis sine cognitione medicinarum efficacium morbos profligarunt optime, imperato viuendi commodo regimine. Ex scriptis HIPPOCRATIS intelligimus, quantam operam nauarit diuus Senex electioni cibi potusque reliquarumque ad vitam sustentandam necessariarum rerum, quas postea medici nonnaturales vocarunt. Nec vllus cordatorum medicorum grauitatem cognitionis diaetae, totiusque vitae regiminis non perspexit. Exstant hoc de argumento doctorum virorum scripta, ex quibus iuuenes hanc arduam doctrinam haurire possunt et debent, nec datur egressa obseruatio medica vlla, in qua de vitae ratione aegroti nulla verba fiunt. De praestantia et necessitate huius doctrinae persuasum mihi quum sit, ex ea argumentum dissertationis, edendae pro viri-um modulo, depromsi, de vitae regimine aegrorum ex febribus disputaturus.





## §. II.

Pertinet ad regimen vitae vsus rerum nonnaturalium, quae pro varietate conditionum vitam vel conseruant, vel infirmant, vel infirmatam restitunt, vel magis adhuc laedunt. Conditiones hae determinantur primo quoad res ipsas, qualitate earum et quantitate, qua vsurpantur, corpusque mutant; deinde quoad hominem viuum eius temperamento, ceu naturali robore, debilitate fibrarum, neruorum, vasorum, viscerumque, humorum densitate, solutione, visciditate, acrimonia, blanditie ceteris ad quae accedit aetas, sexus, anni tempus, clima. Quaecumque enim homini accedit, suo temperamento si est accommodatum, id ipsum non laedit eundem, sed bene conseruat et contra. Sic conuenit pro ratione temperamenti alteri id maxime, quod alteri damnum infert haud exiguum. Ergo in regiminis commendatione ad hominis temperamentum erit praecipue respiciendum, vt sanitas illaesa seruetur. Vtut de cibi potusque generibus constat, ea non omnibus mortalibus recte valentibus conuenire, sic quoque de aere, quiete et motu, vigiliis somnoque, excretionibus et re-



tentione humorum, animique pathematibus haud minus certum est idem. Ex ficcitate corpora rigida nutrimentis alantur oportet succulentis, hisce humidus aër, quies magis quam motus, somnusque magis quam vigiliae, retentiones magis quam euacuationes, tristitia magis quam gaudium, ira minus, quam animi tranquillitas conducit, quibus omnibus nimirum augmentum rigiditatis tale euitatur, quale inter morborum causas posuit experientia. Quibus contra laxitas et abundantia humorum tanta est, quanta, si adhuc auferetur, morbum inducere solet, hisce regimen praescribatur, quod exsiccet quodammodo, praepediatque accumulationem humorum et incrementum laxitatis. Sed ne laedatur horum sanitas imperato regimine; illud ita moderetur oportet, ne in contrarium abeat status corporis, qui toti habitui plane accommodatus non est. Rusticum laboriosum nutrire si quis vellet ea ratione, qua eruditi nutriuntur sedentariam vitam agentes, pessime sanitati eiusdem prospiceret. Sic infans aliud vitae genus aliudque regimen sequi debet, aliud senectute confectus, aliud vir, aliud femina, aliud incola  
frigi-



frigidarum regionum, ac ille, qui aestui solis  
expositus in calidissima terrae regione degit. Haec  
de sanorum regimine sufficiant dicta.

§. III.

Morborum natura alias adhuc offert conditi-  
ones, quae, vt regiminis ratio consueta mutetur  
et restringatur, iubent, ne morbi vis increseat,  
vt potius ipsa deleatur. Consuetudini quidem non-  
nihil concedendum esse, monet HIPPOCRATES,  
siquidem id, quod consuetum sit, licet minus con-  
ueniat, haud adeo corpus turbet, ac inconfue-  
tum, quamuis caeteroquin salubrius. Qua autem  
in re naturam ipsam indicatricem sequi et ad vires  
aegrotorum, modumque morbi potissimum vitae  
regimen determinare, maxime praestat. Omnibus  
enim aegrotis non conducit eadem aëris externi  
conditio, eadem quies, caetera, vtut non idem ci-  
bus et potus. De regiminis obseruatione aegroto-  
rum qualiumcunque in praesenti dissertatione tracta-  
re breuitas temporis elaborationi destinati, exigui-  
tas virium mearum, et spatii fines praescripti mihi  
non concedunt. Sic satis sufficiet, de regimine vitae



in febribus obseruando pauca meditari atque proponere.

§. IV.

Nullum morborum genus frequentius occurrere, nisi febres, vbique constat. Nec parcit ea homini cuiuscunque sit aetatis, temperamenti, sexus quauis degat in regione terrarum. Veritatem hanc omnis aevi cognouerunt ac testati sunt medici. Frequentius itaque, quam aliis malis, medendum est febribus. Itaque bene calleat rationem viuendi, qua subiicere se debent aegroti febribus affecti, medicum oportet, vt officio suo rite recteque satisfacere possit. Ordinatum autem regimen praecipituro cognita sit febris ipsius natura ac indoles, cuius cognitione dirigere commodam optimamque saltem vitae rationem ad symptomata lenienda malumque profligandum aptam par est. Generaliora nonnulla super hac re hic exponam. Nisi omnes, plurimi ex febrium ordine morbi, quotidie obseruandi vulgares, in tres classes pro indole causae materialis dispesci possunt. Etenim nulla habitata typus et accidentalium symptomatum ratione, febres generantur, vel ab inflammatoria sanguinis diathesi, vel a colluue humorum crudorum, viscidorum, biliosorum in primis, vt dicuntur, viis, vel

vel



vel a putredine humorum, sanguinis. Prima classis comprehendit inflammatorias, altera biliosas, tertia putridas febres. Licet hae febres subinde purae obseruentur, notandum tamen est, eas multo frequentius inter se complicari. Quaelibet earum classis sua habet propria signa, quibus dignoscuntur, complicatae febres composita ergo signa exhibent; porro febris iterum pro ratione loci affecti alia ac alia exhibet symptomata, itemque alia pro vehementia causae, pro subiecti indole, et quae sunt alii signorum accidentalium fontes, quibus omnibus factum est, ut medici ingentem numerent febrium nominibus diuersarum re ipsa autem conuenientium multitudinem, qua ardua de hisce morbis doctrina omnium difficillima redditur cognitu.

#### §. V.

Ex inflammatione vera ortae febres sese patefaciunt pulsu celeri, frequenti, duro, aestu continuo, cui accedit, inflammatione locum quendam occupante, dolor ipsius loci affecti, pulsatio, rubor, tumor. Pro functione partis affectae laesa alia adhuc se produnt signa, quae, qualis pars, qualeque viscus laesum sit, indicant. Symptomata alia ergo huius generis exhibet pulmonum et pecto-



pectoris inflammatio, alia huiusmodi morbus capitis, alia iterum ventriculus, intestina, hepar, lien, renes, vesica, caetera, eodem malo laborantes. Attamen omnibus hisce malum producit eadem ingrata et praeternaturalis conditio, idem morbus torquet, eadem morbofa mutatio et materia vincenda est medenti, licet pro varietate partis affectae eidem feбри varia dederint nomina medicinae doctores. Ergo in omnibus hisce morbis vna eademque methodo medendi opus est medico, nec ea differt, nisi in applicatione externa remediorum eorundem ad locum affectum. Nec accedo sententiae eorum, qui perhibent, specificum quoddam dari remedium aduersus inflammationem veram pulmonum, quod non valeat simul aduersus eandem valetudinem alius visceris, cui eadem ratione potest applicari. Quousque morbus enim idem est, etiam idem remedium eundem debellare debet. Quod si autem caeteris paribus illud remedium non morbum, quocunque loco iste resideat, sustulerit, tunc certe symptoma modo quoddam parti dolenti proprium sedasse videtur. In hac inflammatione vera semper adest sanguis densus, et magna vis fibrarum motricium, quae irritante  
caus-



caussa morbofa quadam in vehementiam degenerat, febrimque maguam efficit. Medicationem itaque abfoluimus relaxatione fibrarum feu virium fractio- ne et fanguinem diluendo. Optime hinc cedit fan- guinis miffio, quo magis vires exsuperant, eo largior; conueniunt diluentia, quae fimul fibras relaxant et fanguinis densitatem foluunt, interne data externeque adhibita, nec femper vis irrita- tionis opii vsum exigit. Stimulantibus certe care- re poffumus, quousque antea dictis remediis vires haud vltra modum debilitauimus. Quodfi vero fa- ctum effe, pulfus nobis testatur, tunc camphorata et Senegae radicem aliaque vires ftimulantia adhi- bere et parti dolenti veficatorium imponere iuuat. Diffuffa tandem inflammatione naturae viribus re- liquiae humorum abundantium, inutilium euacuan- tur, fanitasque ad integritatem redit.

## §. VI.

Inflammatoriis febribus plane contrariae habe- ri poffunt putridae febres. Omnia enim eas comi- tantia fymptomata indicant debilitatem ingentem virium vitalium omnisque neruorum actionis fup- preffionem, humorumque diffolutionem. Pulsus nimirum paruus mollisque ac facile irregularis, ce-

B

ler



ler vt plurimum, interdum autem iusto tardior. Tota facies aegroti externa de viribus defatigatis testatur, quum e contrario inflammatoria febre laboranti augetur vegetus viuidusque aspectus. Ex putrida febre aegroti non semper quidem, saepe tamen colluuiem cruditatum putredine dissolutarum in canali alimentario habent; saepeque etiam corruptam bilem. Rarius absque hac accumulatione materies morbi in massa sanguinea hospitatur. Inde magna generatur iam differentia epidemiarum putridarum ratione curationis bene notanda. Methodum medendi hae febres longe aliam exposcunt, ac inflammatoriae, quum causa earum peculiaris observetur et a causa harum longe abeat. Ea enim hoc loco conueniunt, quae vires naturales et vitales excitant, fibras, nervosque roborant, sanguinemque condensant. Laudatis itaque in inflammatoria febre remediis putridae augentur mirum in modum. Vetant hinc venae sectionem, resoluentia et mire diluentia exercitati medici, suadentque, repurgatis pro ratione indicationum primis viis, vsum acidi vitriolici et corticis peruiani, epispasticorum, camphorae, moschi, aquae frigidae.

§. VII.





## §. VII.

Medium fere, vt ita dicam, inter haec febrium genera locum tenent biliosae dictae febres. Neque enim in his tanta virium iactura notatur, neque tanta virium excitatio, quanta cum illis combinata cernitur. Pulsus observamus celerem, saepe plenum, mollem, rarius reuera durum, et virium naturalium imbecillitatem eo maiorem, quo magis impuritates ad massam sanguineam delatae degenerationem huius morbi in putridam febrem minitantur. Fere semper in primis viis resident impuritates biliosae plus minus viscidae aut mobiles, quibus febris causam debet. Saepe cum his combinatur sanguinis diathesis inflammatoria aliaue. Eo distinctiores videmus remissiones et exacerbationes morbi, quo magis solummodo abdomen causam materialem continet. Ac contra eo pertinacius vim suam in continuo exercet, quo magis ipse sanguinis corruptio subest. Cruditatum euacuationibus febrium ipsarum maximam curationis partem absolui, nemo experientia edoctus negabit. Viam aptissimam ipsa indicat natura medicatrix, quae cholera excitata totam morbi vim saepe tollit, notante HIPPOCRATE. Attamen licet fere omnes

B 2

neces-



necessitatem emeticorum hoc in morbo agnouerint, nunquam tamen hanc euacuationis viam feligere conueniet, nisi eam commendet nisus naturae, fitus cruditatum, debita earum mobilitas, plane absente vlla inflammationis nota. Ventriculum, duodenum occupantes cruditates, humoribus circa praecordia stagnantibus, simulac de horum mobilitate et absentia inflammationis esse possumus conuicti, nil promptius opem fert, subleuatque aegrotum nil citius, nisi bene euacuans emeticum, quod saepenumero tunc emergentem morbum statim supprimit. Quodsi vero obseruamus, ad intestina iam delatas esse impuritates, prudentius per anum fiet eliminatio. Expedit autem saepissime emetocatharticis abdomen purgare. At, vtrum inflammatio occulta in visceribus abdominalibus simul cum impuritatibus dictis lateat, bene inuestigandum est. Qua enim praesente indicatum emeticum malignissimum effectum edit, vnde intelligi etiam recte potest exitiosa actio harum euacuationum sub febribus quibusdam malignis hinc inde notata. Rite denique purgato corpore, viscidoque soluto, vasis neruisque amissum robur restituendum est, iis remediis, quae in putridis maxime iuuant.

§. VIII.



## §. VIII.

Perbreuem hanc febrium dictarum et generalem conspectum praemisi, ut inde deducerem nonnullas regulas pro commendatione singulo febrium generi aptati vitae regiminis. Rerum namque non naturalium usus ita est instituendus, ut nisi inde morbus tolli possit, ei saltem nulla detur sui incrementi causa. Itaque ex febre inflammatoria aegris talis sit vita, qualis virium irritationem, densitatemque sanguinis minuit, minimum non auget. Contraria huic autem vitae ratio febre putrida laborantibus imperanda est. Biliosa tandem febre affectis id arripiendum aut omittendum manebit, quod ea ratione his conuenit, qua morbus ad inflammatorium aut putridum magis accedit, ut ex prioribus patet.

## §. IX.

Primo itaque de aëre dicam. Animal calidum habens sanguinem respirare ad vitae sustentationem, itaque aërem continuo inspirare ac inspiratum emittere debere, satis cognitum est. Physiologis relinquo, causam necessitatis huius rei eruendi studium. Non autem omnis aër ad respirationem sufficit. Iam pristini cognoverunt medici noxiam,

B 3

qua



qualitatem aëris diu inclusi carcerum, cellarum, et  
 eius, qui exhalationibus animalium, paludum-  
 que scatet. Nota est malignitas inde profecta fe-  
 brium carcerum, nosodochiorum. Hinc diu iam  
 de aëris puritate aegrotis conseruanda cogitatum  
 est, atque ideo commendatus iure liberi atmos-  
 phaerici aëris in valetudinarium accessus, quo re-  
 nouatur respiratione corruptus, vt respirationi in-  
 feruire iterum possit. Chemiae hodie debemus ex-  
 plicationem harum obseruationum, ex quo ea sole  
 clarius diuersitatem aëris demonstrabit. Qui maxi-  
 me respirationi vitaeque animalis fauet, ille aër pu-  
 rissimus habetur, ab omni phlogisto liber, hincque  
 vitalis aëris vel *dephlogisticati* nomine venit. Data  
 eius quantitas longe diutius vitam animalis conser-  
 uat, quam eadem quantitas atmosphaerici. Lon-  
 ge facilius in hoc aëre succedit respiratio, animal-  
 que eo inclusum maioris hilaritatis signa, sanitatem  
 que perfectissimam commonstrat. In se autem hic  
 aër suscipit phlogiston, eoque sic corrumpitur, vt  
 respirationem vitamque opprimat. Sic benignam  
 eius qualitatem destruuunt effluuia hominum, ani-  
 malium, candelarum flagrantium. Eiusdem gene-  
 ris veneni est aër carcerum, nosodochiorum, et  
 qui



qui ex paludosis eructatur locis, *mephiticus* et inflammabilis nuncupatus. Ipse atmosphaericus aër non nisi quoad partem purissimus est, et reliqua pars eius noxia. Compertum autem iam habemus, rationem purissimi atque impuri aëris valde differre, nec ad nugas referenda est opinio, ab hac inaequalitate mixtionis pendere salubritatem aëris communis. Magnum et certe maximum praestaremus aegrotis solamen, si possimus iis ad respirationem offerre aërem purissimum *dephlogisticatum*. Quamuis hac in re pericula ex nitro eiusmodi aërem pro emendatione aëris nosodochii parandi Berolini frustra tentata sint, sperandum tamen est, alio adminiculo, ut idem praestetur, esse futurum.

#### §. X.

Praeter puritatem aliae conditiones aëris considerandae sunt, caliditas nempe et siccitas. Licet purissimus aër aequè conueniat inflammatorio et putrido morbo laboranti, caliditasque neutri, nihilominus tamen frigidior aër magis conducit secundo, et calore temporatus priori, quum stringat roboretque ille, atque hic magis relaxet. Nec alia ex causa siccus aër putridae feбри, et humidus inflam-

flam-



flammatoriae recte opponitur. Promptissime ac, si diutius admittitur, maximopere emollit fibras atque relaxat moderate calidus aër cum humiditate. Siccus contra aër cum frigiditate valde roborat atque adstringit. Infelicem tenet vulgus opinionem, qualemcunque morbum acutum tolli posse sudoris expulsionem. Itaque calidissimum imperant aegrotis regimen, cohibent accessum aëris purioris, caloremque aëris inclusi opera omni sustentant medicastri, sicque saepe mite malum in immedicabilem morbum peruertunt. Hac enim methodo ex leui febre biliosa fit grauis putrida, ipsaque inflammatoria in vehementem putridam vel difficilem lentam mutatur, aegrique immaniter torquentur aestu interno et externo et respiratione laesa. Aëris caliditas sub inflammatoria febre commendanda non tanta fit, vt aestus febris sanguinisque inde augeatur, sed tanta, ne a frigiditate laedatur aegroti status. Aqua pura, aut foliis herbisque recentibus inodoris conspergendo pavementum, vel ramo arborum folioso circum collocando in valetudinario humiditatem aëris satis superque obtinebimus quaesitam. Humiditati aquosae relaxanti in morbo putrido

trido



trido quidem siccitatem aëris longe praeferimus, at quod si simul cum humiditate remedium efficax potest applicari, tunc praestat haec. Atque vapores aceti fortis magnae utilitatis esse lubenter concedimus.

## §. XI.

Circa cibi potusque rationem optima praecepta clarissimorum virorum accepimus, quae hoc loco describere animus non est. Omnibus hisce alimentis inesse debet vis morbum infirmandi, et modice blandeque nutriendi. Dentur itaque inflammationi expositis, quae diluunt, atque emolliunt, et ut vim hanc eo magis exercent, liquida sint oportet et tepidi caloris. Absit valde nutriens quaecunque, stimulans omne, et frigidum, quousque inflammatio urget. Illis enim haec nunquam infringetur. Putridae feбри autem subiectis frigida ingerantur omnia refracta dosi optime et ea, quae blande roborant stimulantque praesertim post eliminationem impuritatū abdominalium ante eam vero, quae diluunt ac soluunt praesens viscidum et acrimoniam praesentem inuoluunt, mutantque, et semper ea, quae proxime putredinem arcent, acida.

C

§. XII.



## §. XII.

Quietem maxime commendarunt medici iis aegrotis, quorum vires infirmae motu voluntario adhuc magis debilitarentur. Vbi autem vires nondum adeo fregit morbus, expedit corpus citra defatigationem mouere, vbi morbus ad putridum vergit; at in inflammatorio malo quiescere conducit. Ab effectu motus quietisque huius consilii rationem intelliges. Huicque effectui insignem vim emeticorum, totum corpus praesertim viscera concutientium, quodam iure acceptam referre possumus, quorum praestantiam in febribus putridis et noxam in inflammatoriis exercitatissimi in arte medica viri vno ore fatentur. Vbi vero ob virium iacturam putrida febre laborantes decumbere coguntur, curandum est, vt cubile aestum febrilem non adaugeat, tegumenta leuissima ac lodiculae imponantur, quibus refrigerantis aëris accessus non plane pracludatur. Lauetur aeger quotidie aceto imbutis spongiis, quoad totum corpus, abdominique superimponantur eadem spongiae. Inflammatione autem detentus affigatur potius lecto, quotidie lauetur tepido decocto molliente partique dolenti applicetur idem decoctum ope spongiae. Danda est omnis opera puritati linteorum, quibus aegri





aegri circumdati et vestiti sunt, praesertim si ea sudoribus, et, vt amentibus aegris saepe fit, sordibus et vrina conspurcantur.

§. XIII.

Debilibus omnibus aegris nihil magis optandum est, nisi placidus reficiens somnus, quo motus irregulares humorum in naturalem ordinem redeunt, fibrae neruique reficiuntur debiles, et si antea adstrictae nimis erant, laxantur, secretiones hinc bene cedunt, et excretionibus viae parantur liberae. Durante autem morbo febrile eiusmodi somnus modo desideratur, numquam vero accedit. Putrida febre laborantibus saepe est comatosus, quem irritantibus applicatis remediis abigere student medentes, dum eo durante, malum nequam emendatur. Pertinaces vigiliae mali etiam ominis signum exhibent omni febricitanti et furorrem plenariamque virium deletionem inducunt. Quantum ergo fieri potest, omni evitatione eorum, quae sensus irritant, quies somnusque conciliandus est. Caeteris autem paribus, negandum haud erit, vigiliis diutius posse tolerare putrida febre laborantes, quam inflammatoria conflictati, quorum malum relaxantem quietem somnumque mox exigit, aut vehementia increscit.

C 2

§. XIV.



## §. XIV.

Ad excretionum excrementitiarum rerum conseruationem respiciunt merito hodierni medici. Olim enim aliam de hac re sententiam tulerunt medentes, quibus nimirum ventris obstructio et sudoris prole-ctio proficua in acutis visa est. At vtut laeuitas intesti-norum in inflammatoriis morbis semper, in putridis biliosis nonnunquam optimum rei statum pertur-bat, sic occlusio aluina vtrumque morbum reddit grauiorem. Referatur ea, inflammatoria praesente febre clismatibus emollientibus tepidis lubricantibus, diaeta supra iam dicta. In putrida vero febre pro euacuatione ad intestina delatarum impuritatum, primo quidem tempore, quo intestina adhuc ro-bur tenent, nec nimium vt in tympanitide extensa sunt, lubricantibus leniter aromaticis clysteribus opus est. Postea vero relaxata intestinorum vi, putredineque vrgente, expedit clysteres frigidos e cortice peruuiano paratos, acido citri, aceti, ta-marindorum mixtos iniicere, frigidaque cataplas-mata abdomini imponere, quibus faustissime vsus est Ill. TISSOT. Caeterum vero, ne tale incommo-dum nascatur, diaeta vegetabilis, vsusque fructu-um maturorum pomariorum, mellisque cauebit. Et contra nimiam egestionem alui horreorum fructu-um

um



um mucilagines, gummi que arabicum commendantur. Caue tamen, ne adstringentibus datis comprimas fortiter eius modi eiectionem in putrida febre. Alias porro, quod attinet euacuationes naturales transpirationem nimirum et vrinam, eas neque regimine sollicitare conuenit, nisi natura has vias ad eliminationem grauantis onerosique liquidi elegerit. Nimius' frequentissime accidit sudor ab initio febrium putridarum, quo nihil in melius vertitur. Imprudenter ageres, dummodo ad hunc calido regimine admissio quoddam momentum afferres. Eneruantes eius modi sudores frigido regimine compescendi sunt. Morbi autem vi fracta, sudorem prouenientem, qui sanitatem restituit, subleuamus diaeta diluente, calidioraque regimine moderate, neutiquam autem vehementer. Sic quoque vrinae secretionem potu diluente, renesque modice stimulantem incitare debemus, simulac hanc ad materiae eliminationem elegisse naturam cernimus.


#### §. XV.

Mutant morbi hominem totum ita, vt etiam animus ad hoc aliudue pathema magis inclinatur pro varietate morborum Inflammatoria nempe febre tentati ad iram proni fiunt furoremque, putrida autem laborantes ad tristitiam atque moerorem. Illi itaque persuasionem temperandi, hi autem erigendi sunt

di sunt



di sunt. Vtrisque, quousque mentis compotes sunt, spes expectatioque reconualescentiae omni studio conseruanda est, qua illi iracundia, huic tristitia moderatur optime. Praeterea omnis remouenda erit sedulo caussa eiusmodi affectum animi nutriendi, qui ipsi morbo magnum parare augmentum potest.



## T H E S E S.

- I. *Saltem occulta inflammatio usum emeticorum in febris gastricis ut plurimum indicatorum maxime vetat.*
- II. *Ad morbos profligandos medici est, indicationes naturae sequi, non opiniones et methodum.*
- III. *Euacuationes certis signis indicatae omni tempore in acutis debent institui.*
- IV. *Veras Hippocraticas crises in acutis morbis semper obseruare cupientem Hippocratica medendi methodo utatur oportet.*
- V. *Tolluntur quidem quoque morbi, euacuationibus proprie curandi, soluentibus ac diluentibus remediis, at longe tardius, viresque aegrorum iis magis deiiciuntur.*
- VI. *Longe frequentius capitis morbi oriuntur a vitiis viscerum abdominalium, quam a vera plethora.*
- VII. *Aqua intercus expelli nequit vel efficacissimis remediis, nisi antea potu commodo copioso diluta sit et ad resorbendum mobilis reddita.*
- VIII. *Dantur specifica remedia saltem aduersus morbos simplices.*
- IX. *Euacuationes necessariae, naturam onere liberantes nunquam crisin perturbant, quam potius accelerant.*
- X. *Nullum datur remedium, quod semper tollit morbum, varias atque diuersas agnoscentem caussas, nisi palliativae.*

